

# NOVVS ORBIS.

**T**otum hoc Hemisphériū (quod America, atque ob immensam suam amplitudinem, Novus Orbis hodie vocatur) veteribus incognitum mansisse usque ad annum à Christo nato M. CCCC. XCII. quo primū Christofero Columbo Genuense detectum fuit, humanæ admirationis modum excedere videtur. Considerata namq; cùm antiquorum in describendo terrarum Orbe diligentia, & amplissimorum Imperiorum ad perquirendas Regiones commoditate, opportunitateque; tum humani generis dira atque infatiabili auro atque argento inhiante cupidine, nihil non tentante, quò iis portiatur, quibus hæ Regiones increbili copia abundant, tam diu potuisse nostro Orbi latere, non semel mirati fuimus. Sunt, qui hanc Continentem à Platone sub nomine Atlantis descriptam opinentur; Inquitque Marinæus Siculus in Chronico suo Hispania, hic nummum antiquum Augusti Cæsaris effigie insignitum, in aurifodinis inuentum esse, missumque in rei veritatē summo Pontifici, per D. Ioannem Rufum, Archiepiscopum Consentinum. Nonnulli Senecam Poëticō œstro percitum, præagiisse huius inuentionem, hisce fidicis versibus, opinantur:

Venient annis  
Secula seris, quibus Oceanus  
Vincula rerum laxet, & ingens

Pateat tellus, Typhiusq; nouos  
Detegat Orbēs,  
Nec sit terris ultima Thyle.

Quemadmodum & illud Sibyllæ Carmen, quod Iacobus Nauarchus inuentum scribit Anno M. CCCC. V. in calce Luna promontorij (Rochan de Sinna vulgo dictum) ad littus Oceani, quadratæ columnæ insculptum; regnante Emanuele Lusitanorum rege:

Voluentur saxa litteris & ordine rectis,  
Cum videoas Occidens, Orientis opes.  
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile visu,  
Meres commutabit suas vterque sibi.

Sed hoc carmen non esse antiquum, sed nostro ævo natum; neque Sibyllinum, sed commentarium; monuit (dum hanc nostri Theatri secundam editionem parabam) me Roma suis literis Cæsar Orlandius Iurisconsultus, ex Gasparis Varreni editis scriptis, apud quem ego hoc ipsum postea legi. Fuisse nempe tempore Emanueли Portugalliae regis, cura Hermi Caradi Lusitani cuiusdam marmore insculptum, eiusque iussu terra obrutum; vbi verò marmor aliquod vitium ex humore terreno fecisse iudicauerat, simulata delectationis causa, inuitat amicos in villam suā, vbi prope hoc vaticinium scilicet latebat. Cùm igitur accubuerint omnes, ecce eius villicus nunciat mercenarias eius operas incidisse in lapidem literis inscriptum. Continuò omnes accurunt, legunt, admirantur, exosculantur, & tantum non adorant, &c. Vide ingenium ad ludificandos homines aptum!

Tota hæc Orbis pars hodie circumnavigata est, præter eum tractum qui Septentrionem aspicit, cuius littora nondum perlustrata sunt. A Septentrione in Meridiem descendit sub forma duarum Peninsularum, quæ tenui Isthmo discernuntur. Ea Peninsula quæ Septentrionalior est, Nouam Hispaniam, Mexicanam Prouinciam, Terram Floridam, & Terram nouam comprehendit. Meridionalior verò (quæ Terra firma Hispanis vocatur) Peruuiam, Bresiliamque continet. Quarum omnium Regionum cognitionem legere potest Geographiæ studiosus apud Leuignum Apollonium; Petrum Martyrem Mediolanensem; Maximilianum Transsyluanum, qui Latina lingua de iis scripsérunt. Plura non negligenda etiam videre sunt inter Iesuitarum epistolas. Promittit & Postellus Commentaria rerum Atlanticarum.

Hi sequentes ex professo de ea scripsérunt: sed vernacula lingua omnes, quæ ut plurimum Hispanica est; sed Italica interpretati magna ex parte etiam extant.

PETRVS CIECVS LEGIONENSIS,	FRATER MARCVS NIZZENSIS,
GONSALVS FERNANDVS OVIEDVS,	FERNANDVS ALARCHONIVS,
FERNANDVS CORTESIVS,	FRANCICVS XERESIVS,
PETRVS ALVARADVS,	IOANNES VERAZZANVS,
DIEGVS GODOYVS,	AMERICVS VESPVSIVS,
ALVERES NVNNIVS,	FRANCICVS LOPEZ DE GOMARA,
NVNNIVS GVSMANNVS,	HIERONYMVS BENZONIVS,
FRANCICVS VLLAVS,	IACOBVS CARTIER, &
FRANCICVS VASQVES,	ANDREAS THEVETVS, Gallicè scripsit,
ANTONIVS MENDOZA,	IOANNES STADENSIS Germanicè.